

vera quo Henrici animus ad inducias infringendas a nepote incederetur. Cur enim mox Marcum Antonium Columnam damnasset? anathemate perculsum perduellem declarasset? oppida ademisset, propinquis suis tradidisset? Cur Garziam Lassum, quem ad illum Rex, ut de concordia ageret, designaverat, cur Joannem Antonium Tassum tetro carcere includi iussisset? an non ex his satis intelligi, quenam mens Pauli sit? bellumne, an pacem cum Rege malit? At vero si bello rursus Italia implicetur, ac pontificia cum Casareanis arma congregiantur, quot inde clades, quot pericula consecutura sint vix explicari dicendo preest; dum eodem tempore divina, atque humana cuncta turbari necesse sit. Id enim Paulus meditatur; in id incumbit, ut Gallorum exercitus in Italiam inducat, quibus Philippo, cui viribus par esse nequit, obsistat: neque quantis religionem periculis objiciat, animadvertit, quam inter bellorum tumultus, atque armorum strepitus elanguescere necesse sit. Non intelligit, belli sede in hac provincia constituta, cuncta militum libidini, atque avaritiæ objectum iri; scilicet id illi fixum est, si pares voluntati vires essent, Hispanos Italia pellere. Ob id Neapolitanum regnum Philippo adepturum minatur; atque ut institutum consilium perficere queat, quot velit Henricus, in Cardinalium Collegium cooptaturum pollicetur, ut eo defuncto, suarum partium Pontificem habeat. Ex his quis non intelligat, dissidiorum, ac schismatum materiam ali; dum is, qui communis omnium parens titulo, ac nomine censetur, in christianos Principes auctoritate abuti, atque armis sævire velit. Neque vero esse, quod quis Philippum arguat, qui arma ad se tuendum, non ad Pontificem oppugnandum induat: id insitum natura esse, ut omnes se resque suas tueantur; cum præsertim nemini de pietate, ac religione, quam sinceram, Catholicamque profitetur, Philippus concedat; & cum eodem Paulo Summo Pontifice sæpius egerit, ut, controversis compositis, æquis conditionibus pacem amplecteretur. Nam quod conquerantur, Regem Ecclesiæ perduelles fovere, ac tueri, nemini mirum videri debere, si eos, qui sua stipendia faciunt, deserere nolit. Quod vero addunt, hæresi infectas gentes in Italiam venturas, hujus rei culpam offingi Philippo non posse, qui non proferendi imperii cupiditate